



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Chilianvs Cvm Soc. MM. 8. Iulii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

animadvertens aliam viam deinceps ingressus est, & fabrefieri sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, qua fractos pedibus aureos argenteosque DEOS pauperum manibus in spoliis iussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed victo omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit & sanguine jam suo pulchram sacrâ undâ amplius lavit & abhinc PROCOPIVM dixit. Atque hic ille Procopius est, qui unus contra omnes Carnificum manipulos stetit, qui que prius quam gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subiecit. Qua in re iterum Paulo similem illum rectè dicemus; in illo etiam superiorem, quod Christo moriturus filius matrem peperit. Ex Metaph.

S. CHILIANVS CVM SOC.  
M. M. 8. Iulii.

VTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANVM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachum induit & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam

Bb acce-

accepit. Sed ingenuus qui in pectore  
bulliebat sanguis maiores ausus est ho-  
nores sperare & generosâ morte Mar-  
tyrum nobilitatem velle mercari. Igitur  
in Britanniam, mox inde in Galliam,  
per hanc in Germaniam se penetravit,  
& Herbipolim Franciæ orientalis me-  
tropolim pervenit, Colomanno &  
Tornano viæ propositiq; pulchri comi-  
tibus. Vix crucis signa explicata, cum  
debellata superstitio, & ipse Dux Fran-  
corum Gosbertus sub jugum Christi est  
missus. Sed restabat cum Muliere bel-  
lum, semper viris etiam periculosum.  
Geila hæc fuit fratris olim Gosberti  
conjunx, tunc pellex hujus, & quia  
hanc consilio KILIANI Dux adie-  
bus parabat ejicere, ipsa prius KILIA-  
NVM sociosque (absente Duce) vitâ  
ejecit, & corporibus Divorum stabulum  
superædificavit. Monitus KILIANVS  
ab Angelo de morte obviam hostibus  
processit, iisdemque verbis, quibus  
Christus Iudam, salutavit, Martyrum  
porro sanguinem linteo excepit Ma-  
trona Burgunda. Locum stabulantes  
equi nullis sordibus contaminarunt.  
Sicarii malè omnes perierunt, fuitque  
qui sceleris sui furis agitatus clamaret,  
nunquam non sibi imminere gladium  
KILIANI sanguine calentem. Ipsa  
Geila poenas datura carnificem damo-  
nem habuit. Ex Swr.

S. LAN.